



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 125. Factionum pugna

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. eum exoneratur, A.C. 1459. cujus sævitiam decli-
 naturus, Guinæam citato pede sese con-
 tulit, ubi summo animi mærore nuntium
 accepit, quod eo absente naves, quibus
 vectus advenerat, sese hostium imperio
 dedissent, nec non Varwicensis Comes
 post reparatas Eboracensis factionis rui-
 nas Angliam petiisset, bellum restaura-
 turus, cui etiam suppetias ferre diceban-
 tur Baro de Cobham, alique suorum
 fautorum complures, qui ibidem anxie
 ejus adventum præstolabantur. Nec
 vanus rumor erat; quippe re ipsa Var-
 wicensis clam Angliam repetiit, eumque
 Eboracensis Ducis Filius, qui vulgo Co-
 mes Rolhandus dicebatur, nec non Sa-
 risberiensis Dux comitabantur, quorum
 ac ceterorum opera adjutus, adeo dex-
 tre, ac feliciter sibi addictorum animos
 devicit, ut brevi copias prioribus nume-
 ro & animo longe potentiores colligeret.

§. CXXV.

Factionum Pugna.

Interea Sommersetus Dux ad regiam
 revertitur, ubi Reginam de amitten-
 da Londinensi urbe nil sibi metuentem
 invenerat, eoquod illius curam Scalesio
 & Luvelio Baronibus demandasset. Ve-
 rum probata utriusque hujus Viri fides
 haud obstitit, quo minus regii Palatii
 Magi-

Magister Rosæ candidæ, hoc est, Ebo-^{Sæcul. XV.}
 racensium factioni arma sua sociasset, & ^{A.C 1459.}
 Scalesio, atque Luvelio ad turrim fugere
 compulsis, paucis post horis tres illos
 Comites unacum copiis suis in urbem ad-
 misisset. Confestim Sarisberensi Comiti
 negotium datum, Londini persisteret, &
 factioni urbem sartam, tectamque serva-
 ret; reliquis duobus injunctum, ut exerci-
 tu suo Regis copias, quas Regina, Som-
 erseti & Buckinghami Ducum opera,
 Conventriæ collegerat, ad pugnam pro-
 vocarent. Cuncti certaminis desiderio
 flagrare, & hostis conspectum quaqua-
 versum perquirere cupiebant. Tandem
 vero ambo exercitus sibi occurrunt, &
 pertinaci utrinque audacia per quinque
 horas ancipiti Marte pugnatur, signis ^{Polyd. Vir-}
 modo illatis, modo repullis, donec Co-^{gil. histor.}
 mites, militari experientia, ac animi ro-^{Angl. lib. 28.}
 bore longe præstantissimi, tanto inge-
 nio, ac solertia aciem instruxissent, ut
 Regis copiarum, priusquam hoc periculum
 suspicandi spatium haberent, jam ab ho-
 stium turmis circumventæ essent. Hen-
 ricus, cum Buckinghamus, pluresque alii
 sibi maxime addicti penes ipsum caderent,
 ac desiderarentur suorum decem millia,
 ut nihil miseriæ deesset, ipse quoque
 ab hostibus capitur, ac Londinum
 veluti nobilissimum victoriæ trophæum
 defertur. Regina autem accepto cladis

R r 2

nuntio

Sæcul. XV. nuntio una cum Eduardo Filio suo, ac
 A.C. 1459. Sommerfeto Duce Dunhelmum aufugit.

§. CXXVI.

*Eboracensis Dux se Regem Angliæ
 proclamat.*

Eboracensis Dux vix prosperum proelii
 successum comperit, dum confestim
 relicta Hibernia, ubi tum agebat, oppor-
 tune Londinum contendit, Senatui,
 ad hanc urbem accito interfuturus.
 Urbem ergo ingreditur Regiis insignibus
 ornatus, & militum turma stipatus, cui
 quoque armiger strictum enses præsefe-
 rebat, buccinis undique resonantibus.
 Habitationem sibi selegit Vestmonasterii
 in illa palatii regione, quam olim Rex
 tenuit, qui interea in Reginae cubiculo
 captivus detinebatur. Demum Eboracensis
 Henrico Rege nequidem prævie
 salutato, Senatum ingressus, orationem
 habuit, qua se Regni solium ambire haud
 obscure indicabat, „ nostis omnes, in-
 „ quit, quam inique Majoribus meis ere-
 „ ptum fuit solium, quod hodie dum con-
 „ scendo, nec etiam vos latere arbitror,
 „ quanto scelerum fulcro innixi regnum
 „ meum invaserint illi, qui illud per se-
 „ xaginta omnino annos usurparunt.
 „ Henricus enim hujus nominis quartus
 „ Richardi II. sanguine manus suas pol-
 luit.